

VERSUS CORDIS SITIENTIS

Cantilenaë auctumnales

Novi cantus frondium omnium
quia ab tempore verno
usque ad auctumnum tardum
ac maturum
comae arborum
cordi meo vocanti
voce reperiussa
respondentes
ignota verba
solis denudant

*

In ramis folium siccorum
ramosae nucis
viator ignotus audiens
susurrum venti inopinatum
gradum profecturum
tremula anima detinens
auscultat occultos passus
Auctumni aridentis
super folia ex nuce decidentia
quae ut multa in eius vita
fuere nuper tam florentia

*

Maesta maestitia
tristis tristitia
porrigit soli palmas vacuas

At nebulae veniunt
cum vento flatu pluviali
omnibus donantes
donum praesensionis tenebrarum
cum praeterito risu silvarum
ac cum cantilena flebili cicadarum

*

In palmis Auctumni flavae arbores
In valle rubeta
rubescunt flamma rubra
et dum rivi cantant tristem naeniam
iuvenis per prata amore titubans
in recordatione quaerit
illam mortuam puellam

*

Ecce
adulto auctumno
cum nebulis
textrix invisibilis
digitis textit sole plenis
colores ac picturas
per silvas in textili

Et tapetes splendentes
amoena pulchritudine
in oculis nostris renidentes
tremuli aspectant
illum senem pluvialem
Novembrem nebulosum
ut cum caliginosis nebulis
abripiat omnia illa plena
solari amoenitate auctumnalia

*

C o l u m b a e c r e p u s c u l i

Saepe sub vesperum
dum litora splendent purpurea
cupressus humiles
pallio solari amictae
in summum scandunt montem

Illic
prope ecclesiam
parvam ac fragilem
paulum remorantur
oculis viridibus salutantes
sepulcrum matris
cordi meo mittentes
in palmis solis praecipitantis
columbas rubras
facientes nitidas
etiam crepusculi umbras

Vesperascit

Vesperascit
Iam manus ignota violas rosasque
super montes
super undas sparsit

Tranquillitas vespertina
complexu tenet animam

Puerilis aetas ut avis alba
in corde nunc quiescit

Aenigmata

O Cor
rerum mirarum vitae expletum
flores ac deflores
dum ante te diffunditur immensitas

Forsan non evanescent omnia vana
in somniis pollicentia
illa aenigmata arcana. . .

Meridies Ostiae

Sub comis pinorum
calcant pedes molles umbras
dum oculi luce pleni
super ruinas aedium vagantur
frustra sperantes
cum Augustino et matre eius Monica
in via solari congressuros

Aliquid occultum praeteritum tempus
animae susurrat

Forsan vere dicit:
totam hanc claram urbem
sepulcretum esse

Et verba Temporis cum cantu cicadae
connectentia in ramis pini
prope vacuum theatrum
solivago viatori in animam
infundunt dictum:
Cor nostrum immo semper inquietum
ac sitiens pulchritudinis manebit. . .

(1969)